







11  
1.

2.

3.

4.

5.

6.

8.

3



1736.

1. Sobrosław, Carolus Arnoldus, de: Exercitium meum  
in introductione juris ecclesiastici.

2. Goebcke, Andreas Ottomarus: De emeticorum usu et abusu  
in praxi medica.

3. Goebcke, Andreas Ottomarus: De erysipelate.

4. Hoffmannus, Fr. Guilielmus: De legitimis impedimentis  
ex jure Germanico.

5<sup>a</sup> & 6<sup>a</sup> Hoffmannus, Fr. Guilielmus: Specimen juris prudentiae  
symbolicae veterum Germanicorum. 2 Sampl. 1736 & 1743

6<sup>a</sup> & 7<sup>a</sup> Hoffmannus, Fr. Guil.: De observantia gentium circa praec  
liminaria pacis. 2 Sampl. 1736 & 1758.

8<sup>a</sup> & 9<sup>a</sup> Hoffmannus, Fr. Guilielmus: Jus publicum, quod in Saec  
Rom. imperio interregni <sup>magni</sup> temporibus obtinetur.  
2 Sampl. 1736 & 1740.

Joh. Hoffmannus, Fr. Guilielmus: Ad legem Oppianam de  
matronarum cultu. 2 Impl. 1736 & 1757.

10. Hoffmannus, Fr. Guilielmus: De modo judicii private  
exercendi apud veteres Germanos

11. Moser, Johann Jacob: Gedanken; wie Universitäten  
besonders in der Juristischen Fakultät, . . . in einen guten  
Auf . . . zu bringen, als auch recht nützlich . . . zu ma-  
chen seyn möchten?

12. Moser, Fr. Jacobus: De exercitiis religionis domesticis.

13. Moser, Fr. Jacobus: De ecclesiis evangelicis in genere

14. Toll, Cordus Gualter, s: An maritus nobilis sit heres  
uxoris nobilitaris in Silesia?

15. Trier, Johannes Wolfgangus: De computandis gradibus  
consanguinitatis et affinitatis Ed. 2. 1747

1737.

1. Graevius, Christianus Fridericus: Oratio de noxa philorophica

Cum juris prudentia acerbissimo

2. Moserus, Joh. Jacobus: De gravaminibus religionis  
provisio ad statum pacis Badenensis reducendis.
- 3<sup>2<sup>o</sup></sup> Moser, Joh. Jacobus: De dubiis et qui Germanici finibus  
invenitur. 2 Aufl. 1737 & 1738.
4. Trier, Joh. Wolfgangus: De dignitatibus, quae habent  
a patria potestate
5. Trier, Johann Wolfgangus: De pudore naturali in  
contractibus matrimonialibus inspicendo.



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





29.

1736, 2

2

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS  
 DE  
**EMETICORUM**  
 USU ET ABUSU  
 IN PRAXI MEDICA,

*QVAM*  
 FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO  
 IN REGIA VIADRINA  
 GRATIOSO FACULTATIS MEDICAE  
 CONSENSU

SUB PRAESIDIO  
**ANDREAE OTTOMARI**  
**GOELICKE,**

MED. D. AC PROF. PUBL. ORD. NEC NON FAC.  
 MED. h. t. DECAN. ET TRACT. LEBUS. PHYSIC. ORD.  
 PROMOTORIS AC PRAECEPTORIS SUI OMNI  
 HONORIS CULTU AETATEM PROSEQUENDI,  
**PRO GRADU DOCTORIS**  
 ET RELIQUIS EI ADNEXIS HONORIBUS, PRIVILE-  
 GIIS ATQUE IMMUNITATIBUS RITE AC LEGITI-  
 ME OBTINENDIS

DIE *MAJi* MDCC XXXVI.

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

Publico placidoque eruditorum examini submittit

**BALTHASAR CHRIST. Flemming,**  
 Probsthaynenfis Silesius.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.



20

DEPARTMENT OF MEDICINE

OF

HARVARD MEDICAL SCHOOL

CAMBRIDGE, MASS.

IN PRACTICE

BY

JAMES W. HENNING

M.D.

PHYSICIAN IN CHIEF

OF THE

HARVARD MEDICAL SCHOOL

CAMBRIDGE, MASS.



**VIRO**  
*SUMME REVERENDO AC DOCTISSIMO*  
**DOMINO,**  
**DN. CASP. SIGISMUNDO**  
**REIMANNO,**

**ECCLESIAE,**  
*QVAE LIGNITHI AD AEDEM S. PETRI ET PAULI*  
*CHRISTO COLLIGITUR*

**ARCHI-DIACONO**

**ET**  
**BIBLIOTHECARIO LONGE MERITISSIMO**  
**HONORATISSIMO ATQUE DILECTISSIMO**

**MATRUELI MEO**  
**FILIALI OBSERVANTIA ET CULTU**  
**AETERNUM DEVENERANDO**



DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM PRO SUMMIS  
IN SE COLLATIS BENEFICIIS  
IN DEBITAE REVERENTIAE SYMBOLUM  
ULTERIOREMQUE COMMENDATIONEM

EA, QUA PAR EST,  
ANIMI SUBMISSIONE  
PIA MANU  
SACRAM ESSE CUPIT

BALTHASARUS CHRISTIANUS  
FLEMMINGIUS.





## PROOEMIUM.

**S**i ullo unquam in casu deliberandum diu, quod semel statuendum est medico, certe matura in propinandis evacuantibus, *cetera* inprimis operantibus, deliberatione opus est; Quia haec talia remedia, drasticum praecipue effectum exerentia, in manu artificis imperiti vel saltem ad praesentes morbi circumstantias legitime, ut decebat, non attendentis, revera nihil sunt aliud, quam culter vel gladius in manu furiosi, quo certius nocere quam prodesse potest. Sapientissimum antiquorum dictum est: Medicum sua in arte, quae *practica est, cum recta ratione effectiva, nec nimis timide, nec nimis temere* gerere sese debere. Mallet tamen, si optio daretur, in casibus dubiis, ancipitis eventus ac periculi plenis, quales in utraque praxi tam *clinica* quam *chirurgica* haud raro occurrunt, timiditate potius quam temeritate peccare; Cum *posteriori casu*, quod factum est, infectum reddi nequeat: *Priori* vero qualiscunque mora & cuncta-

A

cunctatio titubanti & quasi fluctuanti medico consilium salutare adhuc suppeditare possit, quo ex praesenti rerum discrimine sese extricandi & conscientiae saltem parcendi occasionem inveniatur. Hinc dubio procul factum est, quod ex antiquis *Asclepiades* vomitoria ex praxi medica penitus proscripserit, imo nec fortiora catartica, tanquam ventriculo admodum inimica in eadem tolerare voluerit; Quem etiam morem recentiorum quidam secuti, inter remedia mortifera retulerunt *emetica*, exemplo *Gebemae*, *Bontekoei* imo ipsius quoque *Helmontii* aliorumque, qui parem cum ipsis foverunt sententiam, talia nempe remedia infecura vel minus tuta ex foro medico prorsus esse eliminanda, judicantes.

At vero, si verum fateri liceat, peccarunt alii excessu, alii defectu; Medium tenuere beati. Non possumus quidem patientibus nostris spondere, effectum indubitatum & omni modo salutarem praestitura esse *emetica*; Interea tamen sedulo prospiciendum est, ne, si juvare nequeamus, eminentem saltem noxam non inferamus. Id minimum dubio omni carere videtur, quod *emeticum* tempestive exhibitum ex orci faucibus eripuerit aegrum, cui alias certissime pereundum fuisset; Sicuti contra certum est exploratumque, quod in praesens vitae periculum imo mortem ipsam praecipitati fuerint, quibus temere atque improvide, nullaque rationali circumstantiarum praesentium ratione habita, remedium tale propinatum fuerat. Qui vero *subjectorum*, *aetatis*, *temperamentorum*, *habitus corporis*, *vitae generis* & inprimis *morborum* illud *indicantium* vel *contra indicantium* circumstantias omnes expendit curatius, in exhibendis *emeticis* errorem non facile committet. Atque hac inprimis intentione, dum *dignitatem Doctorem* & conjuncta cum illa *privilegia* & *praerogativas* ambio, legibus & statutis inclutae Facultatis medicae facturus  
fatis,

fatis, praefens argumentum de USU & ABUSU EMETI-  
CORUM in PRAXI MEDICA prolixius discutendum elegi,  
ut non modo legitimum & ab omni irrationali empiria alie-  
num modum, illa tuto atque secure in usum vocandi com-  
monstrarem, sed & varios in praxi clinica ferme quotidie  
occurrentes indicarem casus, in quibus, teste ac duce  
fida experientia, cane & angue pejus eadem sunt fugienda.  
Cumque hic labor in generis humani commodum & emolu-  
mentum a me suscipiatur, tanto certius confido, fore, ut vi-  
tae & sanitatis auctor unicus summusque conservator eun-  
dem benedictione sua prosperoque successu sit beaturus.

§. I.

**Q**uod Graeci ἐμετον vel ἐμεσιν, id Latini vomitum vel  
vomitionem interpretati sunt, quorum tamen illi vo-  
cabulis hisce neutiquam, mea saltem sententia  
synonymice usi, verum potius per ἐμετον effectum  
ipsam, nempe pravorum humorum per vomitum re-  
jectionem, per ἐμεσιν vero adparatum ejus cum omni instrumen-  
tali ratione intellexisse videntur. Descendit ἐμετος ἀπὸ τῆς ἐμεσιν,  
quod est vomitu aliquid rejicere vel refundere; Id quod tamen  
antiqui medicinae antistites, Hippocrates atque Galenus non de  
solis corruptis humoribus aliisque pravis ventriculi contentis  
per os superius rejectis, sed & vocabuli significationem latius  
extendendo, de sanguinis sinceri in sputo sanguinis vel hae-  
moptysi per organa spiritalia seu respiratori inservientia reje-  
ctatione proprie intellectum voluere; Sicuti loca in oeconomia Hippocra-  
tica à Vöesio allegata clare evincunt. Hinc, ἐμετικοὶ vocantur  
vomiturientes vel frequenter vomentes, & qui cum facilitate  
quadam id faciunt, ἐμετικοί, difficulter vero & cum labore quo-  
dam vomentes δυσμετικοί dicuntur. Imo, qui in statu oecono-  
miae animalis extraordinario frequentiores aequae ac violentio-  
res, ab emeticis acrioribus vel plane venenosis adsumtis indutos  
vomi-



vomitibus patiuntur, ὕπερμεσσει laborare dicuntur, sicuti ὕπερμεσσει πασιῶν patiuntur, quibus *purgantia drastica* vel *drasticiora* exhibita fuere.

§. II.

Verum hoc significato *emetica* seu *vomitiva* hic locorum a nobis neququam accipiuntur, sed eo potius sensu, quo, qui methodum medendi generalem tradunt scriptores, hoc vocabulo uti consueverunt, per illa nempe intelligendo remedia, quae *vomitum artificialem* excitare apta sunt. Si quis vero, missa nominali *emeticorum* descriptione, realem eorum definitionem expetat, hanc subministramus: *Emetica* sunt remedia, quae, mediante *motu* ventriculi partiumque proxime connexarum *peristaltico*, sed *inverso* non humores modo corruptos & noxios, vel adversos tantum atque molestos, sed & prava earundem contenta artificialiter per oesophagum & os superius evacuant, eum in finem exhibita, ut ventriculus a pravorum humorum saburra vel heterogeneorum aliorum corporum mole liberatus suae naturali functioni, quae in alimentorum tam solidorum quam fluidorum digestionem inque laudabilem chylum conversionem consistit, vacare denuo possit.

§. III.

Diximus, remedia haec *vomitum artificialem* excitare apta nata esse; Quem tamen naturae aemulum esse, innuimus; Cujus rei spontaneus vomitus, sponte naturae excitatus, documentum praebere potest, quo quippe varia heterogenea, mucido-viscida biliosa, aliaque corrupta ventriculi contenta, nulla manifesta causa externa concurrente; sed sola naturae autoerata, cum levamine patientis eliminantur: Qualem permulti, caeteroquin sani, temporibus aequinoctialibus, non sine summo sanitatis suae commodo atque emolumento plane insigni solemniter experiri consueverunt & quem proinde statim haec tempora exacte servantem Praetici *periodicum* adpellare haud dubitarunt. Et quantum is in salutem oeconomiae animalis omni modo institutus esse criticamque indolem prae se ferre videatur: Est tamen ab eo distinctus, qui secundum eminentiam *criticus* vocari meretur, febr-



febris quippe continuis & acutis non raro complicari solitus, quo rite largiterque succedente ejusmodi febres perfecte solvi & ad salutarem finem decurrere observamus. Et quid vetat, quo minus etiam vomitum, in paroxysmo frigoris febricitantibus, tertiana legitima laborantibus, supervenientem pro *critico* habeamus? Cum totus apparatus, qui eum in finem instruitur, spastica inprimis totius peripheriae corporis strictione, quam praecordiorum angustiae & anxietates cum nausea tandemque cum vomitu actuali consequuntur, digito id quasi commensuret. Denique ab hisce omnibus vomitus speciebus distinctus est *symptomaticus*, qualis graviter vulneratis, in partibus praecipue nervoso-tendinosi nec non pathematibus nephritico-calculosis tentatis &c. accidere solet.

§. IV.

Dictum est porro; *Anotericam* hanc evacuationem fieri quidem mediante motu *peristaltico* ventriculi parvumque proxime *connexarum*, sed eodem nunc *inverso*: Unde inferre quis posset, eam naturae minus conformem esse posse, eo quod, cum motus ille *vermicularis* a parte fistulae intestinalis superiore versus inferiorem jugiter atque indefinenter in statu oeconomiae animalis ordinario atque naturali succedat, hic vero *inverso* plane modo sese habeat, a fundo nempe ventriculi ad superius ejus orificium eidemque adnexum oesophagum sursum vergendo, sicque prava contenta ex eodem exturbando, violentia quaedam organis hisce inferatur, sicque *naturalis* dici nequeat: Nihilominus tamen, cum insolitum hunc & extraordinarium modum, humores noxios vel saltem molestos excernendi, naturam ipsam sponte eligere videamus; Non sane habet artifex, cur eundem tantopere reformidet, *spontaneam* hanc *methodum* prudenter atque circumspicte imitando: *Prudenter*, inquam, ne cum medicis & empiricis paria faciant rationales medici, quorum illi, nulla circumstantiarum praesentium, aetatis v. g. *subjectorum*, *individualis constitutionis*, *temporis*, *temperamentorum*, inprimis vero ipsorum *adfectuum morbosorum*, quibus opponuntur, &c. rationali ratione habita, indifferenter ac promiscue heroica talia remedia propinant,

de tragicis effectibus, quos haud raro pedisequos habent, parum vel nihil solliciti.

§. V.

Imo, si quam maxime talium rerum admiratione capiantur, qui ex principiis mere mechanicis oeconomiae animalis vitalisque functiones omnes derivare conantur, abunde hic inveniunt, quod mirentur, non tam, quod anima rationalis nulla in actus tales vitales, ad quorum censum ventriculi intestinorumque motum *peristalticum* merito referimus, energia vel potestate polleat, verum id potius animum illorum profunda admiratione occupatum tenere deberet, quod, mechanica harum partium *textura* vel *structura*, qua ad motum potius *catotericum* quam *anotericum* sunt dispositae, nihil obstante, nihilofecius *hic* praesentissime, nulla licet materiali causa, fibras motrices irritandi vel stimulandi efficacia pollente, inverti & in *illum* degenerare possit & soleat, sicuti luculentum ejus rei specimen in vomitu, sola nausea excitato, videre licet. Quis enim ignorat, sola imaginatione vel phantastica objecti alicujus adversi vel nauseosi representatione motum ventriculi *peristalticum* inverti sicque vehementissimum excitari posse vomitum? V. G. Si cum quodam, quem *sensibilioris esse constitutionis* certo scirem, eidem menfae prandendo vel coenando adfiderem, eidemque persuaderem licet nuda esset fictio, pediculum vestiarium, scuto nigro munitum, caetera album butyro, vel fasciculum crinium carnis earumque jusculis inhaerere, nihil certius est, quam ventriculum subversum & post vehementes praecordiorum anxietates vomitum fat violentum excitatum iri. Quae vero fibrarum motricium irritatio, quae stimulatio hic est? Aut, si talis forte adesse fingatur, quae causa irritationem talem fibris inducens? Sola potius nausea, quam quis ex imaginaria talis adversi objecti, licet illud ante organa sensuum reipsa non versetur, sed adesse tantum fingatur, repraesentatione concipit, extraordinarii talis ventriculi motus causa est. At vero averfatio talis de corpore, quantocunque etiam artificio *texto* vel *struſto*, frustra praedicatur. Ut adeo solemnem hanc motus *peristaltici* inversionem, ab objecto nauseoso, sive vere praesente & ante organa sensu-

sensuum versante, sive absente, sed quod tamen adesse fingitur, excitatam, ceu validum sive argumentum sive documentum contra decantatum vulgoque hucusque adsertum mechanismum ejusque absolutam necessitatem allegare queamus, quo ad oculum evinci atque demonstrari possit, organum quoddam, certae cuidam functioni vi mechanicae suae structurae destinatum aliter tamen agere posse, quam structura ista requirebat. Sed hoc problema mechanicis lubentes relinquimus, & ut in eo solvendo ingenii vires experiantur, aequo animo ferimus.

§. VI.

Verum, missis hisce theoreticis speculationibus ad ea potius pedem promovemus, quae majus nobis lumen in praxi accendere possunt, ut abusus, qui in exhibendis *emetiis* toto die ab ignavis committi solent, caute ac prudenter evitare discamus. Non quod ignoremus, errores tales, quales in omnibus practi-  
corum libris affatim notati leguntur, ab aliis jam sufficienter commonstratos esse, sed quod nunquam satis dici possit, quod nunquam satis observari vulgo solet. Qui ergo scopulos, in quos alii incaute illiferunt, prudenter evitare cupit, is in praescribendis vomitoriis semper commendatas sibi habeat circumstantias 1) ipsius *subjecti*, respectu imprimis habito ad ejusdem *sensibilitatem* vel contrarium *stuporem*. 2) *aetatis*. 3) ipsius quoque *sexus*. 4) *temperamenti*. 5) *habitus corporis diversi*. 6) *constitutionis peculiaris pectoris sive thoracis intuitu angustiae vel amplitudinis*. 7) *status vernios*. 8) *virium praesentium* & 9) ipsius quoque *temporis*: Summa imprimis exactitudine ipsius *morbi* indoles est expendenda, quae, an *emetica* secure in usum vocanda vel ob varias inde metuendas turbas, potius omittenda sint, haud difficulter indicabit.

§. VII.

In *subjecto ipso sensibilitas personalis*, quae pro individuum diversitate mirifice variat, & cujus intuitu *ευσμερον* vel *δυσμερον* dici illud mereretur, attentio-  
riorem sui considerationem vel ideo expostulat, quod, neglecta hac *subjectorum* majori vel minori *sensibilitate*, pronissime graves in errores incidant practici & praeter

praeter omnem expectationem in *ὑπερμεσσω* aegrotos suos concijiant. Recordatur hac occasione DD. Praeses honesti cujusdam viri, cui a chirurgo vicini oppidi *catarticum* propinatum fuerat, quod *hyperemesin* atque *hypercatbarsin* usque adeo horrendam excitaverat, ut aeger in summo vitae discrimine versaretur & sine dubio ad plures abiisset, nisi exorbitantibus motibus excretoriis, *cholerae* incöercibilis instar quasi furientibus, fraena tempestive injecta sicque pededentim ad pristinam tranquillitatem revocati fuissent, aegro interim tantum virium dispendium passo, ut non nisi aegerrime ad pristinum corporis aequae ac animi vigorem atque alacritatem reduci potuerit. Eandem effectus diversitatem pilulis suis polychrestis, sua in praxi sibi usitatis, plus una vice expertus est. Elapsae sunt paucae septimanae, ex quo juvenulae cuidam, subitaneo ex terrore abortum passae sed admodum sensibili *ij.* grana massae hujus pilularis propinavit, quae vigesies inde purgata fuit; Quam eandem dosin uno saltem grano *res. jalapp.* & tribus *ʒii* dulcis auctam eadem septimana alii juvenulae, primiparae itidemque in puerperio constitutae exhibuit, quae vix ter vel quater mota inde fuit. Atque ex eodem hoc fundamento a vomitoriis arcendi sunt, qui vel in *lipothymiam* ipsamque plane *syncopen* vel aliquoties jam illapsi sunt vel saltem dispositionem & proclivitatem ad ejusmodi adfectus habent. Ut adeo *personalem* hanc *sensibilitatem* prae oculis & animo habere semper debeant, qui conscientiose in dispensandis vomitoriis suo officio perfungi cupiunt.

§. VIII.

Non minorem attentionem requirit circumstantia *aetatis*. Errant autem toto coelo, qui infantibus atque pueris omnem promiscue usum vomitoriorum interdicendum esse, clamitant. Nos praxi clinica rectius edocti, aliter sentimus. Unico leni, non admodum stimulante emetico a metu praesentissimae suffocationis liberati haud raro fuere infantes, asthmatica pectoris oppletionem vel cardiogmo laborantes, qui sine hoc remedio certissime periissent suffocati. Quo inprimis nomine DD. Praeses *oxy mel squilliticum* multis extollit laudibus, quod ingentem humo-

humorum mucosorum plus minus viscidorum saburram simul ac semel ex ventriculo educendo, saluberrimam praedictis in casibus opem tulit. In senibus vero, ad adfectus *apoplecticos*, *paralyticos* & *somnolentos* pronis, a violentis talibus remediis penitus abstinendum esse, plenissime consentimus.

§. IX.

Ratione *sexus* non paucae dubitandi rationes occurrunt, quae, si emeticorum usum in sequiore hoc sexu non omnino dissuadent, omnem tamen medici attentionem in eorundem administratione requirunt. Praeterquam enim, quod foeminae prae viris frequentius aegrotent, pluribusque numero ac specie differentibus adfectibus laborent, negotium imprimis menstruale, ad qualemcunque anomaliam inclinans vel jam actu irregularitate quadam laborans, pensitationem exactam meretur, quia haud raro evenire solet, ut artificiali tali emesi, qua ex ventriculo & per eundem artifex eliminare contendit, quod in eo non reperitur, vomitui cruento occasio suppeditetur, vel anomalia mensium augeatur. Et quamvis, caeteris paribus, masculinus *sexus* melius ferat emeticorum usum, cautione tamen opus est, ne subjectis haemorrhoidariis exhibeantur, eo quod vel negotium haemorrhoidale turbent, vel conatus ad vomitum cruentum excitent, qui etiam quandoque artificialem talem incongruam provocationem subsequitur.

§. X.

Praeterea ipsum quoque temperamentum in censum venire hic debet. *Cholerici*, cum suapte sponte ad impetuosos animi motus, iram v. g. & excandescentiam inclinent; Hinc etiam effusioni bilis prae aliis magis expofiti sunt, quae tamen, quo minus ipsis noceat, in vomitus biliosos vel diarrhoeam biliosam salutariter desinere solet; Quod si tamen spontaneus talis vomitus non consequatur, nihil impedit, quo minus artificialis excitetur, dummodo a nimium stimulantibus sibi caveat artifex. *Phlegmatici* contra, quibus solemne est, iram concoquere, si bilis effusionem patiantur, febres biliosas incurrunt, quae, si

B


tempe-

tempestiva bilis rejectione non solvantur, in causum ipsum quandoque degenerare solent. *Sanguinei*, cum ut plurimum placidioris & tranquillioris animi sint, rarius artificiali emesi indigent, quae nec ipsis *melancholicis* valde conducibilis est, nisi peculiare circumstantiae eam necessario requirant.

§. XI.

Nec minus habitum corporis diversum ratione *gracilitatis* vel *crassitatis* & ut plurimum conjunctae *obestratis* pendere debet, qui in exhibendis *emeticis* ab erroris metu tutum atque immunem praestare sese cupit; Ubi tamen per *graciles* non sunt intelligendi *phibifici*, *bellici*, diuturnis morbis exhausti & *tabidi* facti, sed quos *Hippocrates* Sect. IV. aph. 6. describit, qui nempe *natura graciles* & *evaporati* sunt: His enim talibus medicamenta per superiora purgantia optime convenire, non sine ratione judicat. Contra *emeticorum* usum damnat in *duris* & modice *carneis* tantoque magis valde *crassis* & *carneis*, ut sequenti aphorismo docet; Quia praeter ingentes praecordiorum anxietates, quas excitant, non solum nihil operantur, sed in adfectus potius *asthmatico-spasmodicos*, vix ulla arte emendabiles conjiciunt aegrotantes. Reminiscitur DD. *Praefes* concionatoris cujusdam pagani, qui, cum habitu tali corporis admodum *carneo* gauderet, a chirurgo quodam vomitorium accepit, quod tamen, tantum abest, ut desideratum produxerit effectum, ut potius, praeter inanes & anxios vomendi conatus sudoresque frigidus in fronte erumpentes, *spasticum* tale *asthma* inde reportaverit, quod ad officium suum rite peragendum non modo valde ineptum ipsum reddidit, sed & *repentinam* ipsi *necem* conscivit; Siquidem, finita in proximo pago, qui tamen vix quadrante *milliariis* a loco domicilii ordinarii distabat, concione, domum reversurus in curru suo, nemine id advertente, mortuus est deprehensus. Ad hanc eandem vero classem etiam pertinent, qui *collum* brevius, *humeris* quasi *immersum* habent, quibus quippe non sine summa temeritate vomitoria exhiberi licet.

§. XII.



(II)



§. XII.

Speſtat huc varia peſtoris conſtitutio ratione *angustiæ* vel *amplitudinis*. Quibus thorax ſolito anguſtior eſt, ſine diſcrimine ſanitatís vel ipſius plane vitæ *emetica* minus bene ferunt; Quia metus eſt, ne ſputum ſanguinis vel hæmoptiſin pariendo, phthiſin tandem vel hæcticam poſt ſe relinquant. Nihil vero tale timendum eſt, thoracem amplum latumque habentibus; Quia pulmones ſat vaſtum ſeſe dilatandi ſpatium naſti, a ruptura vaſorum ſanguineorum facile præmuniuntur immunesq; præſtantur.

§. XIII.

Inprimis vero *status* quorundam *hernioſus*, cujuſcunq; demum ſpeciei hernia fuerit, vomitoriorum uſum contra indicat: Ad quam etiam claſſem pertinent foeminae, *prolapſu uteri* ſive *vero* ſive *ſpurio* laborantes, itidemque pueri, qui *prolapſu ani* expoſiti ſunt; In hiſce enim omnibus cum vehementi diaphragmatis motu deorſum magis propellantur vel potius protrudantur in teſtina una cum reliquis abdominis viſceribus, magis nativis ſuis ſedibus expelli partes ſicque mala prædicta deteriora reddi debere, palam eſt. De *gravidis* earumque ſtatu tanto minus dubii circumſpecto rerumque ſuarum ſatagenti medico relinquitur, quo certius eſt, in abortus metum conjici gravidas, *emeticiſ* imprudenter tractatas; Simileque de *debilibus*, quorumque vires morbis chronicis exhaustæ ſunt, iudicium ferendum eſt.

§. XIV.

Denique circumſtantia *temporis*, quo vomitoria exhibere, conſultius ſit, an matutino vel pomeridiano vel plane veſpertino tempore, hic neutiquam omittenda eſt; Quia exempla eorum ſunt in promptu, quibus remedia talia peſſime ceſſerunt, ſi minus oportune propinata fuerint. Ex mulſis unicum tantum allegare mihi liceat, quod ex actis Facultatis DD. *Praeſes* mihi communicavit. Miles gregarius ex vino aduſto immodice hauſto ebrius, domum revertitur maleque ſe habet, atque paullo poſt in profundum ſomnum incidit, ex quo vix exſuſcitari potuit. Mittitur hinc ad chirurgum, qui hora octava veſpertina adveni-

niens in lecto eundem deprehendit admodum non solum debilem, ut pulsum vix observaret, sed & spumam ore suo emittentem: Quibus interim visis & observatis, neutiquam ille suo a proposito deterreri sese passus est, ac proinde vomitorium, quod secum adportaverat, eadem illa hora exhibuit patienti; Tantum tamen abfuit, ut vomitum excitaverit, licet ex genere fortissimorum fuerit, ut potius post praecedentes maximas praecordiorum anxietates in singultum transferit, ex quo etiam, paucis elapsis horis, mortuus est miles. Itaque longe convenientius est, matutinis horis & quidem jejuno stomacho propinare emetica; Quod idem consilium Divo Seni quoque placuisse videtur, ut in libro de *salubri dieta* legere licet. Id quod tamen eo tantum casu intelligendum, si electio temporis in libero artificis arbitrio posita fuerit: Possunt enim & solent quandoque in praxi medica tales occurrere casus, in quibus indispensabilis eidem incumbit necessitas, etiam pomeridiano vel vesperino vel plane nocturno tempore ad generosum hoc remedium confugiendi, v. g. in catarrho suffocativo & praesentissima hinc metuenda suffocatione, in apoplexia ita dicta serosa & forte aliis in casibus.

§. XV.

Si vero non tam *curatorio*, quam *praeservatorio* scopo *emesin artificialem* ciendi intentio fuerit, tunc de eligendo oportuno anni tempore disquisitio instituitur atque adeo quaeritur, an vernale autumnali, & aestivum hyberno tempori vel contra sit praefendum? Et *vernum* quidem prae *autumnali* tempore insignem sibi vindicare praerogativam, non inde modo liquet, quod, sicuti circa aequinoctium hoc vernale in universo macrocosmo singulares contingunt mutationes, ita non minus illae in microcosmo solemniter observari soleant; Sed etiam, quod his potissimum rationibus moti nonnulli practici, curationes vernales per *venae sectionem, sanguispurgia, emeses* atque *catharises* adnaverint, quae etiam in hunc usque diem permultis in locis Germaniae magna solemnitate celebrari solent; eo non obstante, quod Cl. *Werloshnigius* curationum talium verno - autumnalium, *purgationi, venae sectioni, vomitioni* &c. innitentium abusum *demonstratione physico-medica,*



*medica, quod nempe curatio talis verno - autumnalis non modo inutilis sed & nociva fit, operose ostendere orbique medico persuadere fuerit conatus. An vero aestivum tempus hyberno vel contra fit anteponendum, omnium optime in Sect. IV. aph. 4. jam decidit Hippocratis, dum inquit: Aestate quidem superiores ventres potius medicamentis repurgato, hyeme vero inferiores. Nec solidis rationibus destituta est haec divi Senis decisio: Quia aestate humores sunt mobiliores fluidioresque atque adeo emeticis facilius obsecundant: Cum contra hyeme sint fixiores magisque immorigeri, proindeque plus laboris & negotii faceffere soleant, priusquam educi sese patiantur: Quanquam necessitas nullam habeat legem, talesque nonnunquam casus occurrere possint practicis, in quibus hyeme aequae atque aestate ad vomitoriorum usum indispensabiliter confugere coguntur, quorum casuum jam ante mentionem fecimus.*

§. XVI.

Nihil vero est, quod majorem attentionem mereatur, quam adcurata & vere practica pensitatio omnium illorum adfectuum morbosorum, in quibus *emetica vel indicantur vel contraindicantur* Ubi sine censura dimittendi non sunt, qui erronea vel plane falsa theoria decepti, plerorumque morborum natales ex primis vis, ventriculo & intestino duodeno indiscriminatum derivant, atque adeo ad *vomitoria* tanquam ad sacram quandam anchoram confugiunt, subjeetorum diversitatem ratione *sensibilitatis* aliasque paullo ante commemoratas circumstantias neutiquam, ut decebat, perpendentes, sed, quicquid etiam ab aliis in contrarium disputetur, erroneae theoriae aequae erroneam praxin superstruentes, donec tandem ex pravis incongrui talis remedii successibus melius informati, quidem respiciant, errores tamen semel commissos corrigere nequeant.

§. XVII.

Pari censura imo vituperio potius digni sunt, qui nescio quam *prophylaxin* ex vomitu circa *aequinoctia* artificialiter instituto sibi pollicentur, provocantes partim ad *vomitum spontaneos*, quibus eximie plane sese sublevatos esse profitentur, partim canum consuetudi-

suetudinem sibi adplicantes, qui cum humoribus vitiosis gravatos sese sentiunt, esu graminis vomitum consciscere sibi solent; A quo tempore longe voraciores, quam unquam fuerant ante, reddi deprehenduntur. Verum, sicuti proverbium Germanorum habet; *Es wird dir bekommen, wie dem Hunde das Gras*: Ita jure metuendum est, ne adpetitum potius destruat & concoquendi vim in ventriculo magis pessundet, quam excitet & ad faciendum officium denuo invitet. Ut nihil hac vice moneam de servitutis jugo, quod cervicibus suis, citra eminentem utilitatem, nedum necessitatem imponunt, qui vomitionibus talibus *aequinoctialibus* sunt adsueti. Nisi enim posthac stasis hisce temporibus ad eandem consuetudinem revertantur, eadem cum illis fata experiuntur, qui *vaesestionibus* vel *purgationibus aequinoctialibus* sese adsueverunt: Quandoquidem permolesto tensionis sensu circa regionem ventriculi tamdiu divexantur, donec morem gerant monitis hisce atque artificialem denuo vomitum provocent. An vero hoc modo eximie, ut sibi persuadent, fanitati suae consulant, ex proprio illorum testimonio addiscere malumus. Si vero a medicis ipsis consilia talia proficiantur, a suspitione illa difficulter sese liberabunt, quod ex incommodis vel damnis aliorum ditescere cupiant; Unde etiam curationes tales *verno-autumnales* non immerito *messis medicorum* audiunt.

§. XVIII.

Quid porro dicemus de prava & regulis christianismi parum conformi illorum opinione, qui singulis minimum mensibus crapulam semel contrahendam, deinde vero laute vomendum sicque ventriculum excutia quasi everrendum & funditus repurgandum esse, sibi aliisque operose persuadere conantur. Hos tales pessime moratos *physice* pariter ac *moraliter* summa se aliosque injuria adficere, non adeo difficile vel arduum erit probare; Nam qui singulis mensibus sese inebriando vomitum temere cient, tonum ventriculi debilitant admodum, tandemque penitus destruant & ad functionem suam rite obeundam ineptum reddunt; Morali vero sensu statum suum plus quam bestialem manifeste produunt; Si enim bestiam ad cibum vel potum

potum copiosius adfumendum, quam naturae ejusdem congruit, fustibus vel scuticis cœgeris, verbera patientius, quam cœactionem ullam sustinebit. Hinc vitium ebriositatis Legatis quondam Germanis injuriose satis exprobrabatur ab Hispanis hoc modo:

Germani multos possunt perferre labores,

O utinam possent tam bene ferre sitim!

Quibus tamen retorsione sat acri os obturatur Germani, respondendo:

Ut nos ebrietas; Sic vos venus improba vexat;

Lex veneri lata est Julia, nulla mero.

Et profecto Germano nomine indignum est, quando *Taubmanus* in epigrammate quodam *Francos* suos ideo praefert *Saxonibus*, quod pocula illi melius *bisce* funditus exhaurire sciant, ne gutta superfit, dum ita canit:

Saxoniae mos est potioribus inter amicos

Haurire ex uno pocula multa cavo;

Certe mos nequam! Cur, quod de myitace lapsus est

Alterius, tepida colluvione bibam?

Laudo meos *Francos*, qui se cervice supinant,

Et fundo ex imo praebita pocla bibunt.

§. XIX.

Evehit praeterea, ut patientes ipsi male morati remedia talia vi quasi manibus medicorum extorquere moliantur, praedjudicatae suae opinioni, quam semel imbiberunt, mordicus inhaerentes sibi que falso persuadentes, aliter se à malis suis liberari non posse, nisi hausto emetico. Verum enim vero quam intempestivae & importunae etiam fuerint aegrotantium talium sollicitationes, medicum tamen conscientiosum commovere neutiquam debent, ut morem illis gerat: Semper enim majorem conscientiae, quam querelarum male fundatarum rationem habeat necesse est. Ac proinde si aliter agat, quam conscientiae dictamen ferebat, delictorum omnium sua culpa commissorum reum

reum sese facit. Etiam si enim probe sciamus, fastidium ciborum ac nauseam, oris ventriculi morsum, vertiginem tenebricosam, confluxum salivae in ore eundemque consequentem exspuitionem frequentem, labiorum tremorem, faciei pallorem & non raro sudorem frigidum circa frontem aliaque talia indicia ceu totidem prodromos vomitus mox secuturi a Practicis considerari: Nihilofecius tamen ad *contraindicantia* folerter quoque attendendum est medico cavendumque, ne nimia sua officiositate erga aegrotos vel adstantes, culpam omnem in se derivet, si secus, quam speraverat, cesserit negotium.

§. XX.

Verum, missis hisce generalioribus, ad speciales adfectus morbosos nunc nos convertimus, visuri, in quibus emetica usum habere possint vel minus? Ubi primo statim loco febres tam *intermittentes* quam *continuae* nobis occurrunt, de quarum plerisque medicorum turba persuasum sibi habet, fomitem illarum seu causam materialem in primis viis esse quaerendam, ac proinde nihil illis prius, nihil antiquius esse solet, quam ad *vomitoria* quantocyus recurrere, quorum quippe ope, excussa febrili materia, in prima, ut loqui amant, herba illae suffocari possunt, cum, nihil inveniēte natura, propter quod vitales motus augeat atque intendat, ad pacatum oeconomiae vitalis statum sponte omnia revertantur.

§. XXI.

Et quod proinde *tertianas*, nempe *regulares* & *legitimas* attinet, periti Practici eo minus dubitant, in primis statim earundem initiis ad *vomitoria* recurrere, quo numerosiora in promptu ipsis sunt febricitantium talium exempla, in quibus tempestivo eorundem usa vel simul & semel sublatae, vel ita saltem circuratae fuerunt febres, ut plena vi non amplius erumpere potuerint; In primis si plene planeque convictus fuerit Practicus, ob errores in diaeta commissos ejusmodi febres esse suscitatas. Et si quam maximae quaedam illarum remanserint reliquiae, illae tamen vel salinis digesti-

digestivis vel amaricantibus & stomachicis longe certius sensim subjugari & ad feliciorum exitum deduci possunt, quam si *corrice peruviano* vel quocunque alio adstringente remedio suppressae fuerint, tantum abest, ut solerti observationi practicae consentiat, ejusmodi febres, etiam neglectis & insuper habitis evacuantibus, digestivorum talium salinorum usu vel pertinaciores redditae fuisse, vel in acutas transisse vel typum mutasse & in duplices conversas fuisse, vel plane statum cachecticum pedissequum habuisse; Quales quippe pravi effectus post *chinam chinam* in principio statim adhibitam longe certius consequuntur. At vero cum tertianis *anomalis* vel *epidemicis* quippiam involventibus cautius emeticis mercandum est: Harum enim fomes materialis longe subtilior est, quam ut crassis talibus & cum impetu operantibus remediis evacuantibus ad exitum disponi sese pariat, vires insuper ad febrim talem feliciter per diaphoresin finientem tantopere necessarias prostermit, ad alienam excretionem naturam seducit tandemque symptomata complicata auget.

§. XXII.

Quamvis igitur *quotidianae* ac *tertianae intermittentes*, emeticorum non admodum stimulantium usum & adplicationem sat bene & utiliter ferant: Aliter tamen cum *quartanis* comparatum est. Cum enim hae morbis autumnalibus (secundum Sect. III. aph. 22.) a Divo Sene recte accenseantur, & (secundum Sect. II. aph. 25.) quartanae autumnales, ad hyemem pertinentes longioris sint durationis, materiales insuper causae earundem altius radicatae & per viscera hypochondriaca, pancreas imo ipsas glandulas meseraicas diffusae, ipsae vero hae febres lentum ament progressum, drastice remediis neutiquam turbandum: Hinc crederem, tutius ab eorundem usu in curandis *quartanis* abstineri, nihil adferro nostro obstante auctoritate celeberrimorum, qui *vomitoria* in quartanis nunquam absolute, sed sub certarum cautelarum sedula observatione commendarunt.

C

§. XXIII.

§. XXIII.

Similiter admodum dubitarem, an in *acutis & continuis* locum eminentem obtineant haec, de quibus agimus, remediorum genera? Cum per subtiliores, *diaphoreticas & diureticas* magis, quam per crassiores *emetico-catarricas excretiones* solvi ament: Nisi forte, quod subinde a primis statim harum febrium initiis fieri adfolet, nausea, ad actualem quandoque vomitum adsurgens complicetur; Quo casu lene *vomitivum* vel ideo contemnendum non esset, quod reliquum febris decursum, remoto hoc obstaculo, faciliorem breviorum redderet.

§. XXIV.

Pari, imo majori circumspectione in *febris ardentibus* sive *biliosis*, imo *causo* ipso, tanquam summo harum febrium gradu opus, & vel penitus ab *emeticiis* abstinendum vel cautissime & non nisi in eandem principio illis utendum est: Quia propter bilem flavam, vi iracundiae suis ex receptaculis excussam & ad duodenum translata, eum in finem suscipitur, ut per excretionem *anotericas* vel *catotericas* vel utrasque simul tempestive eliminetur, priusquam caustodeam vel plane causticam indolem adquirat, sicque texturae intestini duodeni, vel ipsi plane ventriculo, ad quem regurgitavit bilis, vim inferat, eumque vel inflammet, erodat corrodaturque, vel in gangraenam & sphacelum cum interitu aegrotantis transeat. Si igitur statim in ejusmodi febrium principiis, priusquam eminentem corruptionem bilis effusa adquirat, post praecedentes praecordiorum anxietates vel vomitus actualis consequatur, vel saltem ingens nausea cum solis vomendi conatibus, plerumque irritis, observetur, nihil video obstare, quo minus vel ad diluentia aquosa copiosius hausta vel ad moderatam dosin radicis *ipecacuanbae*, vomitus promovendi bilisque diluendae gratia, recurrat artifex; Quia, blandiorum talium *emetivorum* ope materia biliosa tempestive ejecta, ab inflammationis metu & gravioribus alias metuendis symptomatibus patientes tales praeservantur. At vero, si serius advocato medico, ad augmentum vel statum jam fuerit progressa

gressa biliosa talis febris, prudentius est, ab omni *emeticorum* usu penitus abstinere; Quia certius nocent, quam prosunt. Id quod tanto magis de *causa*, tanquam summo februm biliosarum gradu intelligendum est, in quo *emetica*, imprimis acriora & vehementer stimulantia eo sunt nocentiora, quo certius ventriculo eidemque adnexo duodeno inflammationem inducunt vel jam praesentem augent, sicque gangraenam & sphacelum tandemque mortem ipsam accelerant.

§. XXV.

Vehementer quoque mirari subit, reperiri practicos quosdam, qui plane in *febris malignis, pestilentialibus* imo *peste* ipsa *vomitoria* commendare non dubitant. Equidem probe scimus, miasmata maligna per aërem disseminata, praeterquam quod per habitum cutis porosum in corpus humanum sese insinuant, vel mediante inspiratione una cum aëre hauriantur & ad pulmones dimittantur, subinde etiam salivae communicari, sicque ejus ope per oesophagum ad ventriculum transmitti; Sicuti cardialgicae anxietates, cum lipothymiis haud raro stipatae, id luculenter demonstrant: Minime tamen haec qualiacunque indicia sufficere credimus, ut eapropter ad *emetica* confugiant practici; Quia summa horum effluviolorum malignorum subtilitas atque tenuitas, quae insuper summa quoque activitate gaudet, brevissimoque temporis intervallo universam humorum massam pervadit, eidemque perniciosissimam corruptionem & quidem intimam, nempe putredinosam comminatur, neutiquam patitur, ut crassiorum talium evacuantium auxilio corpore eliminetur, cum februm talium indoles potius requirat, ut placida diaphoresi, alexipharmacis blandioribus securius obtinenda, per habitum cutis porosum miasmata talia maligna quantocytus educantur, priusquam deleteriam suam efficaciam exerere queant.

§. XXVI.

Verum videor mihi audire quosdam, contra hanc nostram adsertionem objicientes; Experientiae eam repugnare, cum

*Kanoldus*, qui pesti *Gedanensi* ipse interfuit, in epistola, qua ejus historiam graphice descripsit, circumspēctum *emeti-  
corum* usum non modo adprobaverit, sed & variis exemplis confirmare conatus fuerit, ea insignem non tantum utilitatem attulisse, sed & subinde inevitabilis necessitatis fuisse, si nausea, anxietates praecordiales, morsus circa superius ventriculi orificium aliaque talia symptomata digito quasi commonstraverint medico, per salivam potius, quam quamcunque aliam viam vel modum pestilens miasma patienti tali communicatum fuisse. At vero res omnis est in salvo; Praeterquam enim, quod praelaudatus *Kanoldus* emetica positiva, vehementer stimulando motumque ventriculi peristalticum invertendo effectum suum producentia, neutiquam intellexerit, sed ea tantum, quae vel nauseam excitant vel in glandulas salivales fauciumque, masticatoriorum more, vim suam exerunt, salivam & cum illa miasmata contagiosa maligna ore educendo; Multis insuper regulis & cautelis practi-  
cis usum *vomitoriorum* ita circumscripsit & veluti communivit, ut non facile eminens quoddam periculum vel damnum inde sit metuendum.

§. XXVII.

Quod denique *lentas* atque *bellicae febres* spectat, nemo prudens usum *emeti-  
corum* in illis facile suaserit vel saltem concesserit, nisi forte a praecedentibus tertianis vel quartanis male curatis & in primis earum principiis inconsiderato *corticis peruvianii* usu suppressis, natales suos derivaverint; Quo in casu, praemissis, ut par est, digestivis, lene *emeticum* locum habere possit: At vero in *bellicis*, quae communiter ulcerosam nobilioris cujusdam visceris corruptionem comitantur, damnosissima sunt; Quia non modo moderatum febris successum intervertunt, sed & inevitabile virium dispendium post se relinquunt.

§. XXVIII.

Missis itaque febribus, ad alios morbos, *caput*, *thoracem* & *abdomen* ipsosque *artus* occupantes, transitum facimus, paucis adhuc declaraturi, quem usum in illis praestent *emetica*? Cumque  
mor-



morborum caput obfidendum seriei adnumeretur *cephalalgia*, eaque tam *sanguinea* quam *serosa*, merito quaeritur, in qua potissimum specie locum habeant? Qui in subiectis plethoricis, temperamento sanguineo gaudentibus, ac proinde *cephalalgia sanguinea*, quae a restrictione sanguinis versus caput, ad haemorrhagiam narium respectante, laborantibus oritur, *vomitoria* commendat, is videat, ne malum malo augeat doloresque acerbiores reddat, vel plane, aetatis successu, adfectibus *vertiginosis*, *apoplecticis*, *paralyticis* vel *comatosi* occasionem suppeditet. At vero in *cephalalgia* ita dicta *serosa* & *consensuali* aliter se res habet, nihilque video impedire, quo minus primarum viarum saburra leni *emertico*, praemissis tamen praemittendis, evacuetur. In *cephalaea* vero, *hemierania* & potissimum *clavo hysterico*, qui adfectus sexui sequiori prae virili sunt familiariores, & ut plurimum anomalam quandam negotii menstrualis involvunt, periti practici ab eorum usu abstinere penitus solent, haud injuria metuentes, ne adfectus tales, praeter rationem irritati, majori in posterum contumacia ac vehementia patientes excrucient.

§. XXIX.

Eadem circumspectione in *apoplexia*, potissimum *sanguinea*, utendum est. Quamvis enim nescius non sim, a non paucis in magna olim celebritate constitutis medicis *vomitoria* eaque fortissima ex antimonio parata, ut sunt *crocus metallorum*, *vitrum* & *flores ꝯ* &c. fuisse praescripta; Vix tamen credo, felici cum successu id factum fuisse, cum tabulas publicas raro suspendere soleant medici, qui temerario drasticonum talium remediorum usu, vel pudendo potius abusu, aegrotantium suorum salutem vitamque ipsam in discrimen adduxerunt. Excusatione digniores sunt, qui *anoterica* talia remedia in altera, nempe *serosa* *apoplexiae* specie commendant, dummodo sint ex eorum genere, quae magis nauseam faucibus & ventriculo inducendo, quam vehementer stimulando, effectum suum producant; Quorum sal vitrioli a *Langio* tantopere commendatum pertinet, quod quippe copiosum salivae fluxum ciendo, ad dissolutionem feri in cerebro stagnantis suam forte symbolam confert. De *Paralyfi*

& *hemiplexia* id tantum monere consultum duco, ut, si quam maxime necessaria vel saltem utilia judicentur *emetica*, omnis abusus sollicitè præcaveatur.

§. XXX.

Quoad adfectus soporosos, *coma somnolentum, carum & letargum*, perite discernendum est, an *idiopathice* vel *symptomatice* affligant? *Priori* in casu nihil subsidii ab *emeticis* expectandum, imo potius metuendum est, ne graviores curatuque difficiliore inde reddantur; Quia, cum *letargus* à restrictione sanguinis versus cerebrum, indeque nata stagnatione, *coma* vero *somnolentum* a metastasi humorum seroso-mucidorum ortum suum trahat, haud vanus est metus, *vomitoriorum* usu stagnationem in stasi ipsam certo certius transiturem. *Posteriori* vero in casu, praesentibus cruditatibus seroso-viscidis lentisque in ventriculo, spes quaedam adfulget, fore, ut, his remotis & evacuatis, stasis quoque in cerebro enata dissolvatur: Id quod tamen iterum aliter intelligendum non est, quam praemisissis digestivis salinis, quibus *emeticatorum* faciliori operationi via quasi sternitur.

§. XXXI.

Eodem modo de *vertigine*, nempe *consensuali* sentiendum est, quae, si vel a flatibus interceptis, per superius ventriculi orificium exitum quidem tentantibus sed difficulter inventientibus, vel ab humorum biliosorum, vel muco-serosorum aliarumque corruptelarum, ventriculum obsidentium & gravantium, saburra natales suos derivet, nullum *vomitorio* leni praesentius est remedium, nisi forte flatulentia talis cum pathematibus hypochondriacis vel hysteriacis, id quod subinde contingit, colludat. At vero in *idiopathica*, vitio ipso in capite haerente, exulare merito debet.

§. XXXII.

Sunt etiam inter practicos non pauci, qui in *melancholia, mania* aliisque animi morbis *vomitoriorum* usum magnis extollunt laudibus, certissimum inde auxilium aegrotantibus suis promittentes;

tentes; Quorum pollicitationibus an felix semper eventus respondeat, videant illi, qui tanta liberalitate talia pollicentur. Me quod attinet, tanto minus illis tribuo, quo certius persuasus sum, in *melancholiae* specie, quae immaterialibus causis ortum suum debet, ad moralia potius quam physica non tam remedia quam media tantum confugiendum esse; Quam vero *hypochondriacam* vocant pathologi, eam saepius tantopere turbant *vomitoria*, ut, testibus practicorum observationibus, quandoque in *maniam* ipsam transierit. Unde ab eorundem usu serio quoque medicos dehortatus est *Hippocrates*, quando sect. IV. aph. 9. ita inquit: *Melancholicos largius per inferiora, simili ratione adhibita contraria purgandi via*. Contra in *mania* desideratam aliquando opem tulisse *emetica* aliquoties repetita & paullo fortiora, practicorum fide constat.

§. XXXIII.

In adfectibus oculorum, aurium atque dentium, inflammatorii vel rheumatici quippiam involventibus, in *ophthalmia* v. g. *otalgia* & *odontalgia* nocentissima deprehenduntur *emetica*; Quia, praeterquam quod causam mali ne eminus quidem attingant, motum quoque diaphragmatis versus superiorem corporis regionem incitant sicque majorem sanguinis restrictionem versus caput excitando, malum malo addunt.

§. XXXIV.

De *haemorrhagiis narium* & quibuscunque aliis, per quaecunque alia corporis loca succedentibus, notum est omnibus, quod *emetica* salutarem effectum nunquam post se trahant, imo potius funestum haud raro eventum fortiantur. Id quod unico tantum, quod sua ex praxi benevole mihi communicavit DD. *Praefes*, exemplo confirmare mihi liceat. Juvenis viginti & aliquot annorum, in aromatarii cujusdam officina serviens, haemorrhagia narium enormiori correptus, chirurgum hujus loci consuluit, qui pro sua temeritate, qua plerumque sua negotia tractare solent, *vomitorium* eidem exhibuit, quo adsumto, narium haemorrhagia tanta

tanta brevi temporis intervallo sumpsit incrementa, ut eöcerri vel perdomari sese nullo modo pateretur, lethali quoque effectu & eventu paullo post secuto; Pöst fata in miselli istius corpore, hinc & inde maculae lividae fuerunt observatae, certissimo testimonio, drasticae fuisse indolis, quod exhibitum fuerat, vomitorium.

§. XXXV.

Qui *anginosi*, exquisita potissimum *angina*, quae in inflammatione faucium, ad laryngem aequae ac pharyngem sese extendente consistit, laborantibus vomitoria praescribit, audax committit facinus; Non injuria enim habet, quod metuat, ne, cum & laboriose respirent & difficulter deglutiant, praesentissimo suffocationis periculo exponantur. Uti vero audaces quandoque fortuna juvat: Ita, si in apöstema transierit stasis inflammatoria, & sponte tamen rumpi renuat, ad vomitoriorum usum quandoque recurrunt practici, quorum vi, rupto feliciter abscessu, & respirationi & deglutitioni sua restituitur libertas; Quod quippe si factum non fuisset, miserime *anginoso* tali pereundum fuisset. Ut proinde dicto C. Celsi sua constet veritas: *Melius esse, anceps quam nullum experiri remedium.* Nolim tamen propterea negare, temeritatis & ancipitis eventus consilium aequae ac auxilium tale plenissimum esse.

§. XXXVI.

Ex morbis pectoris *haemoptysis*, & quae eam ut plurimum consequitur, *phthisis pulmonalis* nec non adfectus quidam inflammatorii, v. g. *pleuritis*, *peripnevmonia* & *pleuro-peripnevmonia* sunt, qui *emeticorum* usum omnino respuunt. Sive enim *haemoptysis* in actuali sanguinis floridi spumosi que copiosa excretionem sive in *moliminibus* tantum, ad eandem tamen respectantibus, & sensu spastico circa pectoris regionem sese manifestantibus, consistat, in utroque casu damnosissima sunt *emetica*; Priori enim impetus excretionis sanguinis augetur, posteriori vero conatus excretorii, qui temperantibus consopiri potuissent, ad actualem exitum deducuntur. Qui vero vera pulmonum exulceratione, in qua *phthi-*

phthisis pulmonalis natura consistit, jam laborant, illis tanto minus conveniunt: Quia, ut recte loquitur Deckerus in *exercitationibus suis practicis circa vomitoria*, vehementiora talia remedia nihil efficerent aliud, quam ut vires tollerentur, vasorumque apertio incurabilis, suffocatio ac mors denique accerferetur: Unde mox subjungit exemplum chirurgi plethorici, qui post nauseam & vomitum in haemoptoen gravissimam incidit, quae sine dubio in phthisin pulmonalem transitura fuisset, nisi tempestive successus talis praecoccupatus, aegerque sic pristinae suae sanitati fuisset restitutus. Si quae forte ab aliis in contrarium allegata reperiantur exempla, bene ac prospere ejusmodi aegrotis, pro phthisicis habitis, cessasse vomitoria, error sine dubio fuit in *diagnosi*, & *phibitis spuria* pro vera & exquisita falso habita fuit; In illa enim locum suum tueri quodammodo posse, peritis practicis ignotum esse nequit. At vero *pleuriticis*, *peripneumoniacis* & *pleuro-peripneumoniacis* ea commendare velle, nihil foret aliud, quam crassam suam in praxi clinica ignorantiam publice profiteri.

§. XXXVII.

Praedictis pectoris adfectibus jungimus adhuc *asthma*, quod, cum sit vel *secum* & *convulsivum* vel *humidum*, idque vel *pectorale* vel *stomachale*: Sua quasi sponte dispalescit, promiscuum vomitoriorum usum in omnibus ac singulis hisce *asthmatis* speciebus neutiquam admittendum esse. Ita v. g. in *secco* & *spastico-convulsivo* evacuantiata *anoterica* ideo nullum inveniunt locum, quod patientes tales, summa jam spirandi difficultate laborantes, praesentissimo suffocationis periculo exponuntur. At vero in *humido*, eoque *stomachali* vel *hypochondriaco* eximium quandoque usum praestant, eo quod a mucositate lento ac viscido, primas vias obsidente, suam derivant originem, qui, si digestivis salinis ac resolventibus debite prius digeratur, fluxilisque ac mobilis reddatur, *emetici* ope feliciter educi sese patitur, sicque respirandi libertas patitur talibus restituitur. Recordatur DD. Praeses puellae cujusdam septennis, quae ob mucosam talem materiam copiosius congestam & suffocationis metum singulis momentis comminantem, potiuncula quadam, quam praeter aquas veronicae, tusilaginis

D

& hyslopi

& hyssopi, oxymel squilliticum ingrediebatur, praesentissime sublevata & ex mortis quasi faucibus erepta fuit, magna quippe materiae talis seroso-mucidae ac spumescens per vomitum refectione summa cum euphoria subsecuta, ut ab eo tempore adfectu tali nunquam amplius laboraverit. Similiter in *asthmatica pectoris oppletione*, qua infantes subinde laborare solent, nihil est, quod efficacius soletur teneros tales patientes, quam lene *emeticum*, ex syrupo fl. perficor. & oxymell. squillit. paratum, addito, pro aetatis ratione, vel dimidio vel integro ☉ fulminant. grano, prout jam superius a nobis monitum est.

§. XXXVIII.

Pari modo cum *catarrho suffocativo* comparatum est, qui, cum repentina ac simultanea sui invasione pulmones obruat & suffocationem comminetur, nec segnem requirit medicum nec *methodicam* ob brevem, quam necit, moram, expostulat curationem, sed ex arena quasi consilium est depromendum, & ut in *farctu suo*, quem materia seroso-mucida confertim irruens pulmonibus induxit, quantocyus liberandi sunt; Quem effectum nullum remedium efficacius & citius exerit, quam lene *vomitivum*, parumque refert, an catarrhalis materia ventriculum an vero pulmones ipsos teneat obsessos: Quem tamen in finem non vehementer stimulantia, sed nauseam tantum excitantia & mucum dissolventia, quorsum ☉ ☽i referunt practici, in usum vocare solent.

§. XXXIX.

Restant nunc adfectus quidam abdominis in utroque sexu occurrentes, qui, an *emetic* ferant nec ne, breviter adhuc nobis erit examinandum? *Singultus*, inprimis *idiopathice* adfligens, hujus loci est; Nam de *symptomato*, febribus inflammatoriis, *hepatitidi*, *splenitidi*, *causo* aliisque complicato, norunt omnes, eum ab *emeticis* eorumque usu omnino abhorreere; In *illo* vero, quo mediante violento diaphragmatis vicinarumque partium motu convulsivo materiam molestantem vel noxiam ex ventriculo, sive nimia ciborum quantitate repletus & quasi praegravatus fuerit, five

sive a vomitoriis, drasticum effectum post se relinquentibus, imo plane hyperemesin excitantibus, vel venenis ortum habuerit, elidere natura laborat, cum successu felici quandoque vomitum artificialem provocatum esse, biga praestantissimorum medicorum, *Forestus* atque *Fr. de le Boe Sylvius*, experientia ita edocti, testantur. Ille in singultu, ab humoribus acribus, biliosis, corruptis, rodentibus vel etiam a corruptis cibis oriundo, vomitionem, sed detergentibus magis quam incitantibus provocandam suadet; *Hic* vero praxeos medicae Libr. I. cap. XXIII. §. 13. 19. 20. eodem in adfectu, nempe alimentis vel medicamentis noxiis & acribus imo venenis ipsis in ventriculo hospitantibus, emetica antimonialia potius commendat, quorum securitatem millies a se probatam reliquis omnibus antepone non dubitat, quicquid etiam, ut ipse loqui amat, *garrians in contrarium viri, praejudiciis suis excocati*. Id quod suo loco relinquimus.

§. XL.

Sunt praeterea, qui in *cardialgia* usum vomitoriorum ingentibus extollunt laudibus, alii vero damnant atque rejiciunt; Quorum tamen rationes prolixius expendere, nunc non vacat. Quod si spastica haec superioris ventriculi orificii strictura pro fine habeat crudorum, viscidorum lentorumque humorum ex ventriculo eliminationem, nihil video vetare, quo minus ad vomitoria confugiat artifex, quae quippe, experientia teste, adfectum hunc maxime sensibilem haud semel penitus sustulerunt: Cum & natura ipsa, vomitu sponte excitato, huic malo egregie medeatur, vel penitus illud tollendo vel saltem vim ejus enerando mitigandoque. Quod si vero vel flatibus interceptis vel lumbricis vel turbis circa V. P. enatis, id quod viris hypochondriacis & mulieribus hystericeis contingere consuevit, ortum suum debeat, emetica cane & angue pejus fugienda sunt; Quia vomitum cruentum subinde provocant. Tanto magis ab illis cavendum est in *cardialgia syncopica*, imo generatim in subiectis sensibilibus, in quacunque ad adfectus *lipothymicos* vel *syncopicos* proclivitate; Quia non raro lethalem post se effectum relinquunt. At vero in *cardiismo* infantum, sive flatuum incarcerationum,



five meconii in nuper demum natis reliquias, five lac corruptum pro fundamento suo agnoscat, leniora *emetica* debita sua laude defraudanda non sunt.

§. XLI.

In morbo Hippocratis *rucltuoso* usum vomitoriorum, imprimis *antimonialium* in *disput.* hoc de argumento conscripta dudum exploit DD. Praeses his verbis: *Cum vero alterantia, de quorum utilitate §. XXIII. actum fuit, raro sola totum negotium feliciter absolvant, evacuantia illis prudenter sunt subordinanda, neustquam tamen emetica, imprimis antimonialia, quae quippe ventriculi peristalsin jam inversam magis adhuc pervertunt, nec purgantia drastica vel drastico-tera, quae relaxationem vel atoniam intestinorum augent, & non raro statum tympanicum post se relinquunt &c. Imo in simplici flatulentia & conjuncta ventriculi inflatione eo certius contra indicantur, quo magis ex circumstantiis praesentibus convictus est medicus, cum pariteratibus hypochondriacis & hysteriis adfectus tales colludere.*

§. XLII.

Similiter in vomitu *cruento* vel saltem adparatibus & moliminibus ad eum spectantibus, ab *emeticis* provide abstinendum est: Cum enim *anomalias mensium* in foemellis & haemorrhoidales in viris pro fundamento suo habeat, sanguine quippe per ordinaria sua excretionis organa exitu libero destituto, indeque restrictione ejusdem versus V.P. ramumque ejus sinistram versus splenem & vasa brevia facta; Hinc pronum est intelligere, vomitoriiis motus magis concitari & vomitum cruentum augeri ipsaq; molimina in actualem tandem sanguinis vomitum degenerare; Quam ob causam etiam in tota reliqua sua vita ab eorumdem usu arcendi sunt tales patientes, ne recidivam cum damno suo patiantur. Eadem plane providentia opus est in adfectibus *hypochondriaco-hysteriis*, & colludentibus cum ipsis *anomalis mensium* atque *haemorrhoidum*, in quibus quippe *emeticorum* usus perpetuo exulare debet; Nisi forte *obstructionem mensium* recentem, quae ab ingestione panis recenter clibano extracti vel placentarum adhuc



adhuc calentium atque ad eo à manifesto errore diaetetico originem suam traxerit; In quo casu blandius *emeticum* suum tueri posse locum, extra omnem dubitationis aleam positum est.

§. XLIII.

Et quis quaeso audeat, in *passione iliaca* praescribere *emetica*, nisi aegrotantes manifesto vitae periculo temere exponere velit? Si enim, secundum *Hippocratis* effatum Sect. VII. aph. 10. malum est, *ileo* vomitum vel singultum vel convulsionem vel plane desipientiam complicari: Tanto pejus erit, vomitoria dedita opera exhibere *iliacis*, quia *motum* intestinorum *peristalticum* jam inversum magis adhuc invertent sique malum malo addent. Ut taceam, febrem inflammatoriam, quae ilei essentiam constituit, majora inde augmenta certo certius capturam. Idque tanto religiosius in *ileo hernioso*, sive ab *hernia umbilicali* sive *scrotali* ortus fuerit, observandum est, quia, sive faeces alvinae induratae, sive flatus intercepti repositionem intestinorum, sede sua nativa emotorum, fuerint in causa, utrobique evidenti vitae periculo expositi sunt aegrotantes.

§. XLIV.

Pari, si non majori periculo subjiciuntur, qui *cholera* nempe *humida*, qua variae corruptelae acres, biliosae *ἀνακαί κатар* summa cum violentia exturbantur, sunt adfecti. Putarem tamen, rectius atque conscientiosius agere medicos, qui tumultuantes & quasi seditiosos in republica C. H. exortos motus, non vi, sed lenitate potius & moderamine confopire & ad qualemcunque tranquillitatem revocare tentarent; Cum nihil sit certius, quam universam oeconomiam animaleam funditus subverti debere, si evacuantibus potius, quam corrigentibus & temperantibus fluctus tales componere vellemus. Merito tamen tales hic excipimus casus, si vel a venenis adsumtis vel ab *emetiis* & *catarticiis*, drastica vi pollutibus, *cholera* fuerit excitata; Tunc enim, ob instantissimum vitae periculum, a regula quandoque recedendum & diluentibus aquosis, butyro insulso imbutis, lacti tepido copiosius hausto, decocto hordei & Theae largius resorptae  
D 3 aliis-

aliisque talibus, nauseam potius ventriculo inducentibus, quam motus excretorios magis adhuc exstimulantibus, totum hoc negotium est committendum.

§. XLV.

In *dysfocia*, foetus mortui & secundinarum retentione paullo diutius protracta, ab aliis vomitoria laudantur, ab aliis vero ceu inutilia imo noxia rejiciuntur. At vero, si ullo alio in casu, hic certe judiciofa prius discretione opus est, quam exhibeantur; Quia, si difficultas partus ab incongruo vel perverso infantis situ dependeat, non solum frustranea sed & multis respectibus noxia sunt parturientibus. In foetus mortui aequae ac secundinarum diuturniore retentione omni quidem modo optandum foret, ut sarcina hac quantocyus liberarentur puerperae, ne ob putredinem, quam comminantur utero, in sanitatis vel ipsius plane vitae discrimen adducantur; Verum, praeterquam quod saepissime dubium atque ancipitem post se trahant effectum, non raro etiam violentia motuum, quos utero inducunt, noxam haud levem adferre illis consuevere. Id quod probe animadvertentes illi, qui alias talibus in casibus in commendandis emeticis admodum sunt liberales, haec sua consilia quodammodo restringunt suadentque, ut vomitoriis specifica, foetum secundinasque expellentia jungantur atque maritentur.

§. XLVI.

Quid porro in curando scorbuto, cujus indoles in semiputredinosa sanguinis lymphaeque corruptione consistit, praestare debeant vomitoria, vix ac ne vix quidem perspicere nobis licet; Id potius nullum peritum practicum ignorare posse vel debere supponimus, quod hic morbus ab omnibus fortiter vel sanguinem humoresque vel etiam partes solidas commoventibus remediis ita abhorreat, ut ne quidem catharsin, multo vero minus emesin ferre queat, quin anxietates aliaque incommoda inde patiantur aegri. Alterantibus potius & diathesin humorum scorbuticam corrigentibus prae fortioribus evacuantibus palma est deferenda.

§. XLVII.

§. XLVII.

Nec denique adparet, quid in *anasarca*, *ascite* adfectibusque primos illis natales praebentibus, *cachexia* & *leucoplegmata*, speciatim vero in *tympanite*, miseris talibus subsidii vel saltem levaminis adferre debeant? Quia nec flatibus interceptis & intestina una cum abdomine tympani instar expandentibus, exitum procurare, nec serum extravasatum & vel per habitum cutis diffusum vel in cavum abdominis effusum educere valent: Nisi forte remedia per *epicrasin* operantia vel *diuresin* promoventia excipere placeat, quae subinde plus subsidii talibus aegrotantibus pollicentur, quam fortiora evacuantia, *emesin* inprimis scientia, unquam praestiterunt.

§. XLVIII.

Imo ipsi illi, qui adfectibus *arthritis* tam *vagis* quam *fixis* divexantur, non habent sane, quod multum solatii ex vomitorio-  
*rum* usu sibi promittant, nisi forte in primis eorundem principiis, adhibeantur, si, fordes acres atque biliosas haerere in ventriculo, suspicio fuerit. In progressu vero, doloribus nimium jam exacerbatis & ad spasticam vehementiam auctis, locum non amplius inveniunt; Quia, ne motuum qualemcunque anomaliam post se trahant, jure metuendum est. Imo potius anodyna atque temperantia utramque hic absolvunt paginam.

§. XLIX.

Expositis hoc modo praecipuis adfectibus, in quibus *emetic* vel conveniunt utilemque post se effectum relinquunt, vel potius damna & pericula causantur: Progrediendum nobis nunc esset ad principes & in praxi usitatas horum remediorum classes; Verum enim vero, cum praeter opinionem nimium jam excreverit haec dissertatio, & justos tamen intra limites illa continere sese debeat, quorundam tantum tutiorum & quotidiano quasi usu comprobatorum mentionem injiciemus, missis hac vice *glibus* & *glibus*, *drasticum* quandoque effectum post se trahentibus, & sanitatem non tantum, sed ipsam quoque vitam

vitam aegrotantium eminenti periculo exponentibus. Ad illorum seriem referimus *diluentia aquosa*, uti est aqua simplex, butyro infuso imbuta ac tepide copiosius pota, infusum herbae Theae nec non amygdalarum dulcium recenter expressum uti & juscula pinguis & lac tepide resorptum, quod, an *asininum* prae reliquis omnibus esse debeat, ut nonnulli praetendunt, hac vice non disputabimus, suam cuique libertatem facile libenterque indulgentes, dummodo rationes sufficientes videremus allegatas, cur huic prae *vaccino*, *caprillo* aliisque tam eminens praerogativa esset adjudicanda. Hisce subjungimus, quae nauseam tantum excitando vomitum cient, quorum inprimis pertinet R. *ipecacuanbae*, cum cremore ☐i remixta, quae infantibus aequae secure, ac oxymel squilliticum, syrupus si. perficorum aliaque talia exhiberi possunt. Quod si cum robustis minusque sensibilibus subjectis res fuerit medenti, ☐ emeticus rite paratus usibus ejus eximie inserviet; Aut, si ancipitem vel dubium, *emetico-catariticum* effectum edere debeat, pauca ejus grana laxantibus admiscere, non inconsultum erit. Haec vero mitiora, securum ubique effectum praestantia, si scopis curativis exasse satis faciant, quae quaeso ratio movet nonnullos, ut ad noxia vel minus saltem secura confugiant? Sunt autem hujus potissimum classis ☉ vitae, qui tamen rectius ☉ mortis adpellari mereretur, itemque crocus metallorum in substantia exhibitus, nec non vitrum vel regulus ☉ aliaque talia. Postulant enim prudentiae regulae, ut tutiora minusque noxia infecuris atque noxiis semper praerferantur.

§. L.

Sicuti vero nullum unquam evacuans aegris exhibendum est, nisi humores debite prius praeparati & mobiles fluxilesque redditi fuerint: Ita cautio haec in propinandis *emeticis* quam maxime observari meretur. Etiam si enim non desint, qui artificialem talem humorum excernendorum praeparationem inutilem vel supervacaneam esse judicant: Rectius tamen sentire mihi videntur, qui, majorem securitatis patientium, quam praekon-

praeconceptarum opinionum rationem habendo, digestiva vomitorii praemittunt, moniti Hippocratici optime memores, qui corpora, quae quis purgare voluerit, fluida esse reddenda Sect. II. aph. 9. diligenter, simul tamen prudenter & praectice inculcavit. Sunt enim humores evacuandi quandoque immorigeri & rebelles, medicamentorum operationi pertinaciter reluctantes & in quibus proinde excretionis negotium difficulter non modo succedit, sed & angustias anxietatesque praecordiorum causatur, qui, si digestivis  $\ominus$ inis, uti sunt cremor &  $\ominus$ ,  $\nabla$  foliata  $\square$ , vel ejus liquor itemque  $\square$  Glarus aliaque talia, praeparantibus talibus rite praedispositi fuissent, isto vomitionis actu longe facilius minorique cum molestia & periculo patientes essent perfumcturi.

## §. LI.

Nec tamen sub ipso *emetico* actu otiosum spectatorem decet esse medicum, imo potius suadendum est aegro, ut vel aquam subtepidam vel juscula carniū vel theam subtepidam largius superbibat, sicque actum *emeticum* promoveat facilioremque reddat. Quod si vero praeter omnem spem atque expectationem medicamen exhibitum subsisteret nullumque effectum ederet, neutiquam tamen adprobamus consilia illorum, qui, stimulum stimulo addendo, alterum tertiumque superingerendum esse suadent; Imo potius auctor essem, ut clysmate alvus modeste sollicitaretur, sicque *anotericas* illius evacuationis, difficulter vel plane non succedentis loco, *caotERICA* promoveretur. Similiter sollicite cavendum est, ne stimulantia acriora eodem illo die exhibeantur; Quia, experientia teste, haud raro *hyperemeses* vel *hypercatbarfes* vel plane *cholerae* non facile coercibiles cum periculo vitae excitatae fuere: Quo casu temperantibus tantum & anodynis, motus excretorios nimium exacerbatos lenientibus, locus relinquendus est. Nec male sibi consulet aeger, si ipso illo die, quo *emeticum* adsumpsit, fecundum saluberrimum Hippocratis monitum Sect. v. aph. 17. ab aere frigido aequae ac potulentis frigidis abstineat; Quia frigus non modo felicem operationis successum sistit, sed & convulsiones, tetanos

tetanos, rigores febriles &c. parit. Satius quoque est, quieti quam motui sese tradere.

§. LII.

Operatione perfecta, stomachicis & confortantibus ventriculo denuo succurrendum est, quia tonus ejusdem partim diluentibus aquosis, partim vero vehementi illo sui motu sub ipso vomitionis actu admodum est debilitatus; Quo fine vinum rhenanum antiquum & generosum, cinnamomo aliisque aromatibus imbutum calideque resorptum reliquis omnibus palmam praeripit. Nec tamen propterea eff. C. Otior. cascarill. gent. r. aliaeque tales sunt contemnendae. Ast non licet hac vice his aliisque ejus generis monitis, quae tamen in praxi religiose servanda sunt, diutius immorari, partim quod Practicis omnibus satis nota sunt, partim vero & praecipue, quod limites, disputationibus Academicis praescripti, temere non sunt transiendi. DEO T. O. M. vero pro praestito suo auxilio humillimas persolvimus grates.



**S**er wolte nun trauern, wer wolte verzagen,  
Wann Krankheit und Schmerzen den Körper  
ansteck,

Wann allerhand Gattung von Fiebern und Plagen  
Im Sommer und Winter die Sterblichen schröck,  
Und Menschen die Wirkung Adamischer Sünden  
In ihren zerbrechlichen Leibern empfinden?

Sie können sich freuen und wiederum raffen,  
Sie können in voller Zufriedenheit seyn,  
Der helffende Vater hat Mittel erschaffen,  
Zu lindern und mindern die zeitliche Pein.  
Diß muß nun ein Weiser wie billig betrachten  
Und niemahls die Aerzte und Mittel verachten.

Sie saubern und öffnen die Wege zum Magen,  
Als welcher Fac totum; denn jegliches Theil  
Muß Nahrung und Kräfte aus selbigem tragen,  
Die Glieder bekommen von diesem ihr Heil;  
Und hat sich der keines mit Recht zu beschweren;  
Wie hievon die Fabeln Aesopi uns lehren.

Gewißlich derselbe ist glücklich zu nennen,  
Der also zum Gipffel der Wissenschaft steigt;  
Das peccans in menschlichen Leibern zu kennen  
Und wo sich conamen naturæ hinneigt.  
Ein Pfuscher wird dieses wohl schwerlich errathen,  
Denn diese begehen verwegene Thaten.

Herr Flemming hat solches ganz anders beschauet,  
Herr Flemming / den heute der Doctor - Hut ziert,  
Und welchen die Weisheit so herrlich gebauet,  
Hat alles im Menschen recht gründlich studirt.  
Gewißlich es konnte nicht anders geschehen,  
Er hat ja die grösssten Lehrer gesehen.

Ich

Ich selbst bin einer der dessen Lob preiset,  
Sein Wissen und Rathen ist wahrlich bewährt,  
Und seine beständige Redlichkeit weiset,

Was einer gar sparsam und selten erfährt.  
Nächst diesem so müssen die glücklichen Proben  
Desselben Erfahrung und Würdigkeit loben.

Drum wünsch ich Ihm ferner ein himmlisch Gedeihen,  
Ohn welches das Wissen gar wenig vermag,  
Es mag sich manch Francker hierüber erfreuen  
Und sagen von Herzen: O glücklicher Tag!  
In welchem Herr Flemming zum Arzte gebohren,  
Und heute nunmehr zum Doctor erkohren.

Nun müsse bey jedem viel Freude erscheinen,  
Das Vaterland jauchzte und werde vergnügt,  
Es freuen sich alle die Wehrtesten Seinen,  
Die Mißgunst verschwarzte und werde besiegt.  
Ihm laß es der Himmel an Segen nicht fehlen;  
Inzwischen will ich mich aufs beste empfehlen.

Hiermit wolte dem Herrn Doctorando als seinem  
Hochgeschätzten Freunde und Landsmanne zur  
wohlverdienten Doctor-Würde aufrichtig  
Glück wünschen, und sich in Dessen beständige  
Liebe und Gewogenheit recommendiren

Gottlob Drefler, S.S. Thl. St.  
Guerbach. Silesius.





Frankfurt a. O., Diss. 1736-37

Vd. 8

ULB Halle 3  
007 393 474



TA → OL






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13



1736,2 25

2

...A INAUGURALIS  
**CORUM**  
**ABUSU**  
**MEDICA,**  
 ...TIMO MAXIMO  
 ...ADRINA  
 ...TATIS MEDICAE  
 ...SU  
 ...SIDIO  
**TTOMARI**  
**CKE,**  
 ...ORD. NEC NON FAC.  
 ...F. LEBUS. PHYSIC. ORD.  
 ...CEPTORIS SUI OMNI  
 ...TEM PROSEQUENDI,  
**DOCTORIS**  
 ...HONORIBUS, PRIVILE-  
 ...BUS RITE AC LEGITI-  
 ...NDIS  
 ...DCC XXXVI.  
 ...CONSUETIS  
 ...um examini submittit  
**IST. Flemming,**  
 ...Silesius.  
 ...VIADRUM,  
 ...ZII, Acad. Reg. Typ.

